

CHRISTI NOMINE

Humiliter invocato.



OS DON ANDREAS GUERRERO,
& Gisvert, Presbyter, V. J. D. Archidiaconus
Major, & Canonicus Sanctæ Metropolitanæ
Tarraconen. Ecclesiæ, & in Spiritualibus, &
Temporalibus pro Illustrissimo, & Rever-
dissimo Domino Don Jacobo de Cortada, &
Brù, V.J.D. Sanctissimi Domini Nostri Papæ
Praelato Domestico Perpetuo, & Capellano, ac ipsius Sacri Pa-
latii Apostolici Causarum, ac Sac. Rom. Rotæ Auditore, Dei, &
Sanctæ Sedis Apostolicæ gratiæ, dictæ Sanctæ Metropolitanæ Tar-
raconen. Ecclesiæ Archiepiscopo, Hispaniarum Primate, Regio-
que Consiliario, &c. Vicarius Generalis, Officialis, & Guber-
nator Generalis totius Archiepiscopatus.

In Cauſa Barchinonen. Paſti reversionalis, & reconventionis,
quæ per appellationem ducta est ad præsens Consistorium Me-
tropolitanum inter egregium Comitem de Creixell, appellatum,
seu ejus Successores, ex una; & Venerabilem Priorissam, seu
Monasterium B. Mariæ Virginis, vulgo dictum Societatis, seu
educationis Puellarum Civitatis Barchinonæ, appellantem, ex
altera Partibus: Viso toto tam primæ, quam secundæ Instantiæ
Processu, & signanter visa Sententia lata per admodum Reve-
rendum Ordinarium Barchinonen. die 30. Octobris 1736. in &
cum qua dicta Venerabilis Priorissa, cum ejusdem prælaudato
Monasterio condemnata fuit ad solvendum præfato egregio
Agenti mille libras, ob deceſsum Sororis Domnæ Raymundæ de
Zagarriga, in vim paſti reversionalis, sub quo eidem fuerant
assignatae (ultra dotem sibi alias congruè solutam in favorem
relati Monasterii) iunà cum interesse, seu fructibus à die præ-
sentis litis inchoatæ; & simul impositum fuit eidem Priorissæ
perpetuum silentium quoad reconventionem per eam expositam
adversus dictum egregium Comitem, ex prætensa successione
relati Monasterii in juribus, quæ fuerunt non ſolùm dictæ Soror-
is Domnæ Raymundæ de Zagarriga, ſed etiam Sororis Domnæ
Teresiæ de Zagarriga illius germanæ in eodem Monasterio etiam
professa, & prædefunctæ.

A

Viso

Viso propediæ Sententia fundamento, præsertim inter alia stabilito in instrumento transactionis, seu renunciationis, recepto penes Discretum Raymundum Vilanaperlas die 5. Julii 1676, ex quo non solum resultat veritas, & efficacia pacti reversionalis, quo ad proprietatem mille librarum, cuius vigore aggressum est præsens judicium per dictum egregium Comitem, sed etiam appareat, & constat expressa cessio, & renunciatio, seu donatio omnium jurium tam præsentium, quam futurorum ad dictam nobilem Sororem Domnam Raymundam pertinentium, in favorem dicti egregii Comitis, cum conditionibus tamen, & pactis ibidem notatis (quorum tempus nondum advenit) unde robur sumit exceptio, quam opponit dictus Comes adversus sibi objectam reconventionem.

Viso alio instrumento in hac secunda instantia exhibito, consimilis transactionis, seu renunciationis, ac donationis in favorem ejusdem egregii Comitis per dictam nobilem Sororem Domnam Teresiam de Zagarriga factæ die 14. Novembris 1677. penes eumdem Discretum Raymundum Vilanaperlas occasione, & motivo professionis ipsa die per illam emittendæ in jam dicto Monasterio Societatis B. Virginis Mariæ, seu vulgo educationis Puellarum dictæ Civitatis Barchinonen. in & cum qua sub paribus etiam conditionibus, & pactis, translata fuerunt in dictum egregium Comitem per memoratam nobilem Domnam Teresiam, omnia credita, & jura in bonis tam paternis, quam maternis, & etiam aliunde sibi attinentia, ac etiam quomodo libet perventura.

Viso testamento, sub quo decessisse dicitur nobilissimus Raymundus de Zagarriga, pater non solum dictarum nobilem Sororum Raymundæ, & Teresiæ, sed etiam egregii Comitis Don Raymundi de Zagarriga, qui litem hanc inchoavit; & signanter visa assignatione decem millium ducatorum, quæ, ut assertur, important duodecim millia librarum Barchinonensium pro earum uniuscujusque dote.

Viso alio instrumento etiam in hac secunda instantia producto, protestationis, seu declarationis, quam propediæ nobilis Soror Domna Teresia de Zagarriga die 12. Novembris 1677. bidud scilicet antequam præhabitam solemnem professionem emitteret, fecit coram Notario, & testibus, quibus animum suum aperiendo, & timorem indicando, quo premebatur ne per d. egregium Comitem, aut nobilem D. Marcellinum ejus fratrem, vel per ipsius Domnæ Teresiæ tutores, & curatores suasionibus induceretur, aut minis, & violentiis cogeretur ad cedendum, renunciandum, seu transferenceendum in illos, seu alterum

corum

corum, vel alium quemcumque actiones, credita, & jura sibi
competentia in bonis tam paternis, quam maternis, nec non
Domnae Mariæ conjugis d. Raymundi de Olmera; dixit, & asse-
ruit, tale, seu simile instrumentum in prædictorum favorem;
non alias per se fore firmandum, nisi ad redimendam vexatio-
nem sibi inferendam, renuentibus dictis fratribus, ac tutoribus,
& curatoribus prædicta bona assignare pro dote dictæ declaran-
tis, nisi per hanc fieret vicissim prædicta renunciatio: quæ alias
cum prædictos fratres, & curatores compellere non posset ad sibi
tradendum, vel pro dote assignandum bona prædicta, tum ratio-
ne inopie, tum ratione status, novitiatus scilicet quo detine-
batur, & rursus nec præsentem declarationem palam, & publicè
posset emittere, ne prædicti fratres, & curatores indignati, seu
exacerbati necessaria ipsi denegarent ad profitendum, vel in
hoc, vel in alio Monasterio; ideo illam privatim, & occultè
egit coram dictis Notario, & testibus, ut ejus vigore salva sibi
manerent jura omnia, & actiones ad petendum, & exigendum
credita quæcumque sibi competentia, ne dum in bonis paternis,
& maternis, sed etiam in aliis quibuscumque, non fecus ac si
nulla donatio, aut cœssio, aut renunciatio, aut alia qualibet
alienatio præcessisset.

Visis demùm accuratis allegationibus per scribentes, tam in
prima, quam in secunda instantia hinc inde emissis, & plus for-
san æquo protractis, ceterisque videndis visis.

Attento licet constet, per dictam Venerabilem Priorissam
duas fuisse propositas exceptiones ad elidendam dicti egregii Co-
mitis actionem; primam, quod non constat de effectiva petitarum
mille librarum exbursatione nisi per inefficacem enunciationem;
secundam, quod etsi verè constaret de illo debito, veniret ta-
men compensandum cum parte alterius valde majoris crediti
per eamdem Priorissam expositi in reconventione, de qua infra;
à quarum exceptionum prima constat, recessisse dictam Prioris-
sam, & quidem meritò, tum quia de facto agnovit veritatem,
& certitudinem dictæ solutionis per plures illius recognitiones
inde emanatas, tum de jure, quia cum similes præstitiones vi-
talitiae, seu livella sint pars dotis, quæ assignatur Puellæ mona-
chandæ, Sac. Rot. Rom. Rec. part. 11. decis. 39. num. 13. & 14.
ead. coram Ansaldo. de Ansaldo. tom. 4. decis. 415. num. 9. & dos-
ista constituenda, & solvenda, seu deponenda sit antequam religio-
sa professionem emitat, Card. de Luc. de Dot. discurs. 167. num.
31. & de Regular. disc. 59. sub num. 12. Card. Petr. Comment. ad
Const. Apost. tom. 3. in const. 12. Innocent. IV. sect. 1. num. 15. inevi-
tabili est juridica præsumptio illius solutionis post annos plus;

4
quam quinquaginta à die professionis, ut propter ea tota difficultas meritò restringatur, ad secundam exceptionem compensationis, scilicet cum contingenti parte majoris crediti in reconventione prætensi.

Constat etiam pro fundanda hac reconventione, quæ manat ex innegabili successione prælaudati Monasterii in bonis, quæ fuerunt dictarum nobilium Sororum Raymundæ, & Teresiæ, tempore earum mortis civilis, seu emissæ professionis, necessarium omnino esse, dictas Sorores aliqua habuisse bona in præfato tempore, quod tamen aperte repugnat, & fit incompatibile, cum amplissimis renunciationibus per easdem nobiles Sorores emissis, de quibus suprà; unde ad salvandam intentionem dictæ Venerabilis Priorissæ, necessarium fit convincere nullitatem dictarum renunciationum, aut saltem alterius illarum.

Et rursus licet constet ad hanc nullitatem stabiendam plura fuisse deducta per dictam Venerabilem Priorissam; alia utriusque renunciationi communia, alia unius tantum propria; præcipuum tamen, & quod ambas tangit renunciations; est laesio enormissima, quam (ut asseritur) passæ sunt ambæ Sorores, dum unaquæque earum, acceptis tantummodo ter mille, & tercentum libris, sal. err. ab egregio Comite fratre suo, in eum transtulit duodecim mille libras ex legato paterno liquidas, ultra alias summas illiquidas percipiendas ex bonis maternis, & aliis, propter quam exorbitantem inæqualitatem, apertum dolum, & inexcusabile malitiam præferentem, quælibet inita transactio (hoc enim nomine inscribuntur duo illi contractus memoratae renunciations continent) nullitatis vitio insanabiliter laboret, maximè attenta minori ætate utriusque Sororis renunciantis, quæ patet ex processu, ut latè exageratur per scribentes predicta Priorissa, & ejus Monasterio.

Attamen attento constat, contractus istos, de quibus agitur, licet nomen, & etiam ex parte speciem transactionis præseferant, quatenus contrahentes invicem concordarunt, ut munera hinc inde traderentur, quibus se promiscuè à suis respectivè obligationibus exonerarent, & pro satisfactis ad invicem se haberent, & confiterentur, & præsertim ne suis respectivè successoribus ansa relinqueretur ad quæstiones, seu lites promovendas; illud utique certum est in eisdem contractibus, ultra reciprocam compensationem creditorum hinc inde subsistentium, contineri etiam ex parte dictarum nobilium Sororum donationes amplissimas, & munificentissimas expressè declaratas cum opportunitis renunciationibus, ac aliis etiam dispositionibus quasi saltem testamentariis, seu voluntatem ultimam denotantibus, quibus

quibus omnibus perpensis (ut fieri debet , nedum in consulendo , sed & multò melius in judicando) perspicuum redditur , contractus prædictos transactionum nomine descriptos , ex stylo , vel fortè ignorantia Notarii in casu minimè attendendi , juxta monitum Card.de Luca de Renunciat. discurs. i i . num. 10. & alibi , comprehensivos esse diversorum actuum ex voluntate , & intentione contrahentium executioni mandatorum ; adeò ut etiamsi prout redolent transactionem , nullitati , aut rescissioni subjacent quoties detegitur fraus , & enormissima læsio ; quatenus tamen expressam continent donationem , seu gratuitam remunerationem cum renunciationibus assuetis , maximè ubi impellit divina vocatio , qualis est professio religiosa , perpetuitatem induunt immarcessibilem .

Imò prætextus enormissimæ læsionis , in casu veniret , exclaudendus , etiamsi versaremur in terminis veræ , & nudæ transactionis ex considerabili circumstantia , per Venerabilem Priorissam probè agnita , scilicet , quòd dictæ nobiles Sorores non aliter bonis suis omnibus tam paternis , quam maternis , ac aliis quibuscumque in fratris favorem renuntiarunt , quam accep-
tis prius congruis dotibus , cum suis accessoriis , juxta taxam Monasterii , & solitum consimilium Monialium ; sub quo vero supposito , nec illæ , nec Monasterium querelæ motivum allegare , aut supplementum possunt petere , quidquid sit de nubentibus in sæculo , quoties tenuem dotem acceperunt comparative ad patrimonium , seu divitias paternas , vel maternas , vel ad majorem dotem , quæ fortè est data alteri Sorori nubenti in sæculo ; cum enim dos assignetur pro oneribus matrimonii (quod zquè convenit carnali , ac spirituali , quod contrahitur per ingressum in religionem) indubium est , teste experientia , quòd longè majora onera incumbunt nuptis in sæculo , quam Monialibus , quæ liberis carent , familia non egent , & pompam , ac honores non querunt ; ex quibus , aliisque considerationibus Sac. Rot.Rom. coram Ludovis. postea Gregor.XV. decis.63. censuit , non fore addendam aliam summam Sorori Alexandræ , quæ scuta quingentum tantum receperat pro dote , seu ingressu in Monasterium , non obstante quòd Victoria sorori in sæculo nubenti , assignata fuerunt per communem patrem scuta quatuordecim millia , cuius decisionis (cum aliquo tamen Impressoris errore) meminit Fontanel. de Pact. nupt. tom. 2. claus. 5. glof.8. part. i . n. 59. comprobando , congruam esse dotem Monialis quoties illa est juxta solitum illius Monasterii , quod ingreditur . Capic.Latr. decis. 31. num. 10. cum observat Gizz. num. 7. ubi ex Gratian. asserit , in Monialibus non considerari distinctionem nobilitatis .

nec quantitatem patrimonii paterni , nec dotem aliis Sororibus
in saeculo nuptis constitutam , prout etiam firmat Card.de Luc.
de Dot. disc. 167. & disc. 188. num. 22. apud Eminent. Petr. Com-
ment. ad const. Apostol. tom. 3. const. 12. Innoc. IV. sect. 1. num. 29. ex-
primendo, quod debet attendi taxa Monasterii , etsi tenuis , res-
pectivè ad qualitatem ingressuræ , & idem passim docuerunt ci-
tati Doctores , etsi dos Monasterii tantum centesimam partem
dotis congrua pro saeculo pertingeret.

Per propredicta autem minimè intenditur , prefatas nobiles
Sorores Raymundam , & Teresiam , quæ Monasterium ingressæ
sunt patre prædefuncto , nulla habuisse bona , præter dotes à fra-
tre sibi assignatas occasione ingressus , & professionis in Monaste-
rio ; communis enim , & recepta sententia est apud eosdem su-
pra laudatos Authores , & alios , illa , quam tradit Ricc.ad Franch.
decis. 44. ibi : *Limita tamen prædictam conclusionem non procedere
mortuo patre ante ingressum Monialis in Monasterio , nam tunc
integrum paragium ex juris dispositione habere debet ac si in sae-
culo maneret , quia mortuo patre , statim illi est jus acquisitum in toto
illo paragio , ut ex multis : unde adducta in superiori §. Imo præ-
textus eo tantum tendunt , ut agnoscatur lesionem illam enor-
missimam , quæ magni esset facienda , si ageretur de Puella in
saeculo nubente , & per modicam summam legatum , seu dotem ,
seu patrimonium amplissimum renunciante , in nulla considera-
tione esse habendam , ubi agitur de Puella per spirituales nup-
tias conjungenda cœlesti Sponso , qui nullam constituens dotem
in temporalibus divitiis , contentus est aequali , & moderata taxa
indistinctè solvenda per omnes in religione professionem emis-
suras.*

Unde perspicuum est , præhabitæ nobiles Sorores Raymун-
dam , & Teresiam de Zagarriga , quibus ex paterna munificen-
tia , & etiam aliundè pingues obvenerant facultates , & divitiae ,
potuisse de his liberè disponere ante professionis emissionem ex
Sac. Rot. Rom. Rec. part. 4. tom. 1. dec. 113. num. 1. & melius num.
3. ibi : *Quarto , cum mulier fuerit ingressa Monasterium , & Rota
declaraverit eamdem dotem ei deberi , potuit de illa summa liberè
disponere , tam donando , quam testando ante professionem , & ibi
concordantes , in quo nullum est dubium ; sicut etiam est cer-
tum , quod cessante hac dispositione , aperta fuisse successio ab
intestato in favorem Monasterii protinus secuta dicta profes-
sione , quæ habetur tamquam mors civilis ; quare sustinenda sunt
donationes cum assuetis cessionibus , & renunciationibus factæ
per dictas nobiles Sorores ante professionem in favorem egregij
Comitis fratris sui , non curato , seu potius neglecto , quod dicit
dona .*

donationes transactionum nomen induerint, tamquam factæ in conspectu, & tamquam pro compensatione, seu remuneratione aliarum donationum, per ipsum donatarium vicissim factarum in favorem Monialium, quæ cum sint æstimationis valdè minoris, generare videntur objectam læsionem enormissimam, quæ pandit viam suppositorum transactionum rescissioni: Præterquam enim non est curandum de voluntaria, seu affectata nominis adjectione, ubi apertè constat de rei veritate, & contrahentium intentione, ut supra observatum manet, & pluries docuit Card. de Luc. de Dot. discurs. 119. num. 8. de fideicom discurs. 179. num. 7. de Renunt. disc. 11. num. 14. & Sac. Rot. Rom. cor. Ansald. decis. 415. num. 31. ibi: *Quemadmodum quotidie dicimus, quod magis procedendum veniat cum capitulis stipulationum, quæ precesserunt, quam cum littera instrumentorum, quia illa sunt verba parium, hæc Notariorum:* Etiam incomperto est, contractus ipsos expresso donationum, ac cessionum nomine frequentissime notari, tum ex causa divini amoris, seu ingressus in religionem, tum ex impulsu dilectionis erga fratres donatarios, & eorum descendentes.

Et fortius, quia etiam si sistendum esset in præcis terminis transactionum, excluderetur in nostro casu quæcumque prætensa rescissio, propter correspectivitatem omnino admittendam inter correspondentes vitalias, seu annua livella dictis nobilibus Sororibus constituta in summa, seu proprietate mille librarum, per dictum egregium Comitem, & cessiones, seu donationes cum assuetis renunciationibus emissas per dictas nobiles Sorores in illius favorem, cum natura istius correspectivitatis ea sit, ut uno ex extremis corruente, aliud pariter corruat, sicut uno subsistente, aliud etiam subsistere necesse est, prout eisdem terminis appositè firmat Sac. Rot. Rom. coram Ansald. de Ansald. in mox citata decis. 415. num. 15. ibi: *Præterquam enim ipsa præcis, & quotidiana consuetudo nos docet, quod hujusmodi livella assignantur per parentes religiosis, sive masculis, sive feminis ingressuris in religionem correspectivè semper ad renuntiationes, quas in eundem occasione ejusdem ingressus, cum renunciatio, & livellum, mutua complicatione fulciantur major de reliquo certitudo dari non possit verae correspectivitatis, quam ea, quæ derivat à necessitate, quam supra tetigimus, quod corruente uno, corruat & alterum &c. post quorum latam comprobationem, ex autoritatibus, superiorius, & inferius per ipsam Sacram Rotam adductis ipso num. 15. & rationibus ponderatis n. 16. & 17. adhuc n. 18. sic prosequitur: Quinimò adeo intrinsecantur hæ annue præstationes, cum renunciations, ac se se tenaciter vicissim amplexansur, ut etiam in*

³
nuptiis carnalibus, hæc vitalitia, quæ vocantur Spule (apud nos appendices) quodammodo censeantur pars dotis, & omnia insimul reputentur, & sint pretium illarum renunciationum, quæ correspœctivè à fœminis, sive in seculo nubentibus, sive religionem ingressariis emittuntur: Unde nimis absonum, & exorbitans videretur, quod ad effectum perductis, imò & effectis jam irrevocabilibus per mortem dd. nobilium Sororum dictis annuis præstationibus, detergerentur insubstantes, illæ ipsæ renunciations, à quibus recipiebant existentiam, & subsistentiam.

In præsenti demùm alia superest ratio objectæ læsionis enormissimæ pœnitùs exclusiva; contractus enim, de quibus agitur, præterquam uti continentes gratiosam donationem, & cessionem in favorem egregii Comitis, & nobilis D. Marcelli fratri, & utriusque descendenter, rescissioni non subjacent, quia nobiles religiosæ liberalitatem erga fratres, in extremo vitæ civili exercentes, nullam læsionem patiuntur, adhuc tamen non tanta est alienatio, quantam suadere videntur scribentium ponderationes, si quidem non est absoluta, & illimitata, seu prorsus abdicativa bonorum renunciatorum, benè verò temporalis, & conditionata, seu ut vulgo dicitur, personalis, tamquam facta in favorem, & contemplationem nobilium fratrum DD. Raymundi, & Marcellini, ac suorum descendenter tantum; adeò ut, iñ defientibus, bona omnia, & jura, per dictas nobiles Sorores in fratres translata, & renunciata, ~~at~~ illarum successores, iñ si non superstibis redeant, ac si nulla præcessisset cesso, vel renunciatio, in quibus sanè terminis, non modò eisdem nobilibus Sororibus, verùm etiam Monasterio indubitato earum successori valdè favorabilibus, & per Venerabilem Priorissam præsentem, & consentientem laudatis, & approbatis, imperceptibile redditur quomodo contractus controversi potuerint considerari enormissimè læsivi, ac nullitati, & rescissioni subjiciendi.

Ex proximè dictis frigescit etiam argumentum, quod dediti contendit ex instrumento protestationis, seu declarationis factæ per nobilem sororem Domnam Teresiam de Zagarriga die 12. Novembris 1677. biduo antequam professionem emitteret, licet enim ibi dicta nobilis Soror, dupli sexus, & ætatis fragilitate devicta, opportunam adhibuisse cautelam, videatur ne succumberet violentiis, aut fraudibus, quibus verebatur se force opprimendam, ac circumveniendam, ut donationem, cessionem, vel renunciationem faceret, bonorum, & jurium tam acquisitorum, quam acquirendorum, ita in bonis paternis, & maternis, sicut in aliis quibuscumque, in favorem dictorum suorum nobis.

9

nobilium fratrum D.Raymundi , & D.Marcellini de Zagarriga,
seu illius tutorum , & curatorum ; cùm tamen cautela p̄dicta
sit relativa ad oppressiones tunc futuras, ac per consequens con-
tingentes , de quarum verificatione nullum apparet vestigium,
nec quòd dicta nobilis Soror Teresia de cætero quoad vixit con-
questa sit ; affectata dignoscitur dictæ inutilis cautelæ oppositio,
maximè dum subsequutum donationis , cessionis , & renuncia-
tionis instrumentum , quod per illam erat infirmandum, aut pro
quo debilitando illa fuerat emissâ , ita alienum est ab omni do-
lo , & circumventione , ex parte egregii Comitis, renunciatarii,
ut favorabilius censendum sit dictæ nobili renuncianti , quate-
nus pro suæ donationis , & renunciationis compensatione acce-
pit congruam dotem , cum solitis expensis , & annuo livello li-
brarum quinquaginta , quod jam fuisse sufficiens comparativè
ad patriæ usum , & solitum aliarum Monialium: & nihilominus
successionem in eisdem bonis donatis sibi, ac Venerabili Monaste-
rio reservavit in casu deficienciarum nobilium fratrum,
sororumque descendantium , ut suprà.

Et tandem licet constet adversus donationem cum renunzia-
tione emissam per alteram nobilem Sororem Domnam Ray-
mundam de Zagarriga , particulariter objectum esse defectum
decreti sub poena nullitatis interponendi per Reverendum
Ordinarium Barchinonen. ex p̄scripto Sacri Concilii Tridentin. sess. 25. de Regular. cap. 16. huic tamen objecto constat mul-
tipliciter esse satisfactum ; præsertim quia dicta conciliaris dis-
positio non habet locum in testamentis , & ultimis voluntatibus,
ut monet Gallamar. in suis declarationibus ad dictum Sac. Con.
hoc loco , ex censura Sacrae Congregationis ejusdem Concilii
Ricc. ad Capic.Latr. observat. ad decis. 31. n. 4. nec dubium esse
potest, quin controversa donatio locum habeat testamenti , seu
ultimæ voluntatis, dum in ea dispositum fuit de omnibus bonis
donantis, intuitu , & ex causa proximæ mortis civilis, seu profes-
sionis religiosæ, cum expressa substitutione hæredis, seu successo-
ris in casu deficienciarum , tam donantis , quam donatarii ; tum
etiam quia ubi dicta conciliaris dispositio haberet locum in ca-
su , eidem censeretur abundè satisfactum , ex quo donatio con-
troversa fuit facta post decimum, imò & duodecimum mensem
ab ingressu in Religionem , ut constat ex actis, in quibus termi-
nis impleta videtur principalis intentio Sacri Concilii Tridentini , Sac.Rot.Rom. coram Ottobon. dec. 10. n. 52. ibi : Nullitas
autem ex defectu solemnitatis requisitæ à Sacro Concilio Tridentino
ratione temporis , fuit ex facto sublata , quia constat ex testibus for-
miter examinatis , Sororem Camillam assumpisse habitum sanctimo.

nialium anno 1618. mense Octobris, & renunciationem fuisse factam
 1619. mense Octobris, & sic post decimum mensem probationis, juxta præscriptum Sac. Concilii sess. 25. cap. 16. de Regular. de cætero
 autem quoad decretum per Ordinarium interponendum, quælibet quæstio inanis est, & supervacanea, dum nullibi præscriptus
 est modus illud interponendi, an verbo, an scriptis, & cum
 onus probandi hunc defectum illi incumbat, qui in eo se fundat longissimè distat, quod in parte ulla totius processus probata
 maneat per dictam Venerabilem Priorissam, & Monasterium
 totalis, seu omnimoda, & adæquata negatio interpositionis dicti
 decreti, quamvis enim de illo in scriptis non appareat, nemo
 asseverare audebit, quod verbo non fuerit interpositum; maxi-
 mè dictam interpositionem suadentibus omnibus conjecturis,
 quarum prima generalis, & præcipua insurgit ex justitia contra-
 hentibus assistente, cuius vigore tenebatur Ordinarius suum
 præstare assensum, & autoritatem; Secunda specialis ex men-
 tione, quam fecit Notarius dicti decreti, quod cum ibi non
 inveniatur in scriptis, vel ad scribendum est culpæ, aut oblivio-
 ni ejusdem Notarii, vel mitius censendum est hunc intellexisse,
 seu loquutum fuisse de decreto tantum verbo interponendo,
 maximè cum omnibus notum esset, dictum Ordinarium de om-
 nibus fuisse reddendum certiorem; tertia item specialis, ex in-
 terpositione decreti in scriptis per ipsum Ordinarium in alio si-
 millimo contractu posterius emissò per nobilem Sororem Dom-
 nam Teresiam; non enim est verosimile, quod ex duobus con-
 tractibus ejusdem naturæ, seu speciei, & ejusdem intentionis
 per duas Sorores apud eosdem concurrentes celebratis, alter
 subjiceretur Ordinario pro decreto, alter eidem celaretur; quod
 adhuc redditur inverosimilius, observando, quod in posteriori
 per D. Teresiam inito, & per Ordinarii decretum in scriptis ap-
 probato fit expressa mentio anterioris celebrati per nobilem
 Domnam Raymundam, conjungendo aliquas ex obligationibus
 per dictum egregium Comitem in favorem utriusque Sororis
 æquè contractis; & in omni eventu, etiamsi necessaria esset
 decreti superioris interpositio in scriptis (quod in casu ita non
 est) ea utique veniret præsumenda ex longissimi temporis lapsu,
 prætermisso, quod hodierna objectio ex parte Monasterii diffi-
 cillimè purgari potest à macula suspicionis, quæ resultat, tum
 ex quo proposita est per viam exceptionis, ad repellendam actionem
 legitimè intentatam; tum ex quo subsistentia contractus,
 qui per eam intenditur oppugnari, non minus respicit integrati-
 tatem, & decorum Monasterii agentis, quam Comitis defenden-
 tis; & rursus, si quæ culpa consideranda esset in controversi de-

11

creti, seu alterius solemnitatis omissione, non minus Monasterio
quam dicto egregio Comiti cset tribuenda.

Argumentum verò quod formatur ex remissione, quam fecit
egregius Comes alterius similis livelli, seu præstationis annuæ
quinquaginta librarum, & proprietatis mille, in favorem nobilis
Sororis Teresiax, seu potius Monasterii, nullius est roboris ad
covincendam remissionem alterius in controversiam deducti, imò
potius retorquetur in ipsum Monasterium, quia si dicto Comiti
placuisset, similem pro hoc, ac pro illo expressionem fecisset,
ut latius in hoc, & aliis articulis prosequuntur scribentes pro
dicto egregio Comite.

His igitur, & aliis attendendis attentis, pronuntiamus, senten-
tiamus, & declaramus, ritè & rectè fuisse per Reverendum
Ordinarium Barchinonen. pronuntiatum, & declaratum in ci-
tata Sententia per se lata die 30. Octobris 1736. in favorem
egregii Comitis de Creixell, contra Venerabilem Priorissam, &
Conventum vulgo dictum educationis Puellarum Barchinonen.
& consequenter male per istos fuisse recursum, & appellatum,
ideoque dictam sententiam in omnibus, & per omnia confirman-
tes, eandem Priorissam, & Conventum condemnamus, ad dan-
dum, & solvendum egregiis D. Joanni de Zagarriga moderno Co-
miti de Creixell, & Domnæ Mariæ illius matri usufructuarie, &
proprietarii nominibus respectivè dictas mille libras in proprie-
tate præfatae nobili Sorori Dominæ Raymundæ de Zagarriga, cum
pacto reversionali assignatas, & datas, ut illis tantum per se, vel
per Monasterium frueretur, durante vitæ suæ tempore, cum fru-
ctibus, seu interesse à die litis inchoatæ; & quo ad reconventio-
nem per dictos Priorissam, & Conventum expositam perpetuum
silentium eisdem imponimus, & Partem vietam victrici condem-
namus ad expensas in hac secunda instantia factas, pro quibus
omnibus litteras remissoriales, aliasque oportunas, & juxta sty-
lum expediri mandamus; bistracta exequantur, & Cop. Con-
sintimetur.

Guerrero, & Gisvert, Vic. Gen. Off. & Gub. Gen.

Lata die 3 app. 1762.

अस्ति शुभं विद्युतं विद्युतं शुभं अस्ति ॥